



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. L. Romana primogenituræ de Capisucchis. Vocatis ad fiedicommissum vel primogenituram illis de familia, quinam veniant, An illi de effectiva tantùm, vel etiam de contentiva; Et quatenùs etiam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

infertur ad conditionalem; Et quatenus pertinet ad præfatas auctoritates, circa decisionem, in dicta secunda *molén.* (in qua non scripti) nullum constitui potest fundamentum, quoniam in eo casu magis probabilis videtur prima resolutio ad favorem masculi, ut earundem decisionum contextus ostendit, magisque comprobatur illius causæ exitus, quoniam reposita causa super dubio an standum esset in primo, vel in secundo loco decisiis, nulla capta fuit resolutio, sed dictum quod iterum proponatur, quod arguit magnam difficultatem, atque solet esse vigilia revocationis, unde mulier quæ secundam decisionem obtinuerat, contenta fuit concordia, per quam obtinuit vix quartam, vel quintam partem ejus, quod erat in lite; Quatenus verò pertinet ad alias decisiones in *Bononiens. de Carentis*, ultra quod non omnimodam subsistentiam habere videntur ex deductis in eadem causa *dicti disc. 40.* ibi dici potest exclusionem feminarum esse pro regula, & per illarum omnimodam annihilationem stantibus illis verbis satis generalibus, *famine per niente*, quod in præfenti concurrere non videbatur, dum dicta exclusio restricta videbatur ad casum dispositivæ vocationis masculorum, in qua dicuntur illa verba, *exclusis tamen ab hac successione &c.* quali quod ad illum casum concursus cum aliis æque agnatis talis exclusio restricta sit; Et quamvis, ut in fine decisionis hujus causæ advertitur, ob amplitudinem illorum verborum, in omnibus & per omnia, exclusio percutere videatur quemcunque casum ad successionem in genere, nihilominus negari non posse dicebam id esse ambiguum, adque verba remanere æquivoca, ut propterea dici non posset exclusionem esse pro regula, & per viam generalis annihilationis.

Magis me torquebat consideratio, quod dicta exclusio esset in odium ob aliquas dicti *Ulixis* levitates juveniles cum patre avaro sene, quo casu verius est exclusionem particularem in uno casu influere generaliter ad universam dispositionem, ac non intrare conclusionem, ut exclusio particularis in una parte seu substitutionum ordine non influat ad exclusionem à comprehensione sub genere in alia parte vocato cum ita probetur generalis aversio testatoris ab illis personis, ita ex odio exclusis.

Ad evitandam hanc difficultatem deducebam ea quæ ex *Ruggerio consil. 17. num. 115. cum sequen. Menoch. consil. 544.* & aliis habentur apud *Allograd. consil. 55. num. 1. cum sequen. lib. 1.* super invaliditate hujusmodi dispositionum calore iracundiæ initarum; Agnoscebam verò durum esse hoc motivum sustinere, quando causa odii ac indignationis in testatore perseverasset usque ad obitum, cum nimium difficile sit istam conclusionem ad praxim reducere, ut de ea particulariter actum habetur in sua materia sub titulo *de testamentis*; Credebam tamen, etiam in sensu veritatis, motivum esse probabile stante subsequuta reconciliatione, ut in facto justificabatur, quodque revera dicta exclusio fuisset ex causa levi, unde verisimilis esset revocatio, potissimè quoad nascituros filios & descendentes culpæ incapaces; Atque quo magis in sequenti puncto super doctrina *Ciomani* Rota credidit ob enixam contemplationem agnationis & conservationem bonorum in ea, dictam vocationem proximioris de domo & familia habere tractum successivum, ac esse per fideicommissariam potius quam per vulgarem, eo magis me confirmabam in hoc motivo, atque credebam ex jam cessata causa odii & exclusionis, istam non esse adeò rigoroze ampliandam seu inter-

*Cardin. de Luca de Fideicommissis.*

pretandam, sed quod verisimiliter isti tanquam masculi ac de agnatione prius vocati censerentur, & sic etiam ad effectum dispositivæ, multo magis ad illum conditionalis, ut de mutatione voluntatis ob subsequutam reconciliationem, ac cessatam odii & indignationis causam habetur apud *Allograd. d. consil. 55. n. 26. cum seqq.* ubi concordantes,

Quoverò ad alterum motivum, An scilicet vocatio proximioris esset per vulgarem vel per fideicommissariam, quamvis ego scribens pro reis contentis tanquam Advocatus insisterem in regula, ut cessantibus conjecturis censeatur per vulgarem magis quam per fideicommissariam, atque negarem adesse conjecturas tales, quæ limitationem regulæ inducerent, ut de dicta regulæ & limitatione habetur particulariter actum infra *Ariminen fideicommissi de Bartoluis disc. 92.* & in aliis, Reflectendo tamen ad veritatem, probabilis visa est limitatio, ob enixam contemplationem agnationis etiam per artem, cum prohibitionem alienationis bonorum, ac explicata voluntate illorum continuationis per annos 200. ac etiam quod verbum *non extantibus* importaret extantium gravamen juxta theoreticam *Soccin. in l. solemus num. 6. ff. d. cond. & demonstr. de qua particulariter infra in Placentina disc. 89.* & in aliis, sed bene hæc omnia influere credebam ad primum punctum pro vocatione ac prædilectione dictorum agnatorum, neglecta dicta exclusionem esse verisimili voluntate ob cessatam ejus causam ut supra.

Expertus autem fui in ista causa in praxi id quod juxta mores Italiæ improprium esse advertitur supra in *Neapolitana fideicommissi de Lamaris disc. 34.* quod scilicet etiam in feminis demandaretur artificialis renovatio familiæ ita in hac dispositione demandata; Credebam autem rectè cadere illam supplementationem voluntatis, de qua infra in *Tuderrina fideicommissi de Acursis disc. 115.* quod scilicet testator talem renovationem magis demandaverit in feminarum virtis vel filii, ut ita finis ab eo desideratus obtineretur, juxta casum de quo supra in *Romana fideicom. de Baldassini disc. 45.* cum revera juxta Italiæ mores in feminis id nullius sit operationis, ut dicto *disc. 34.* ubi quod procedat juxta mores Hispaniæ.

ROMANA  
PRIMOGENITVRÆ  
DE CAPISVCCHIS.

*Discursus pro veritate.*

Vocatis ad fideicommissum vel primogenituram illis de familia, quinam veniant, An illi de effectiva tantum, vel etiam de contentiva; Et quatenus etiam ista vocata censeatur, quibusnam conveniat; Et an omnes idem cognomen eademque Insignia

L 3

gestan-

LUCA  
de  
amentis  
cat  
CVI  
9

gestantes, concursum in hujusmodi successionebus prætereant; Et incidenter agitur de familiarum identitate ad alios effectus, nempe juris patronatus, nobilitatis, & aliorum jurium honorificorum.

## S V M M A R I V M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Distinguuntur casus, seu effectus, ad quos disputari solet de identitate familiae.
- 3 Referuntur DD. tractantes quaestionem, an vocata familia, veniat solum effectiva, vel etiam contentiva.
- 4 Regula est, ut censeatur vocata effectiva.
- 5 In hac facti specie vocata fuit etiam contentiva, & de ratione.
- 6 De altera quaestione, qui veniant sub contentiva, quod sit confusa per scribentes.
- 7 De subdistinctione ejusdem familiae contentivae inter proximam, & remotam.
- 8 Quando eadem familia sit distincta, ita ut reputentur tot familiae diversae, unde dispositio non omnibus conveniat.
- 9 Recensentur plures familiae, quae descendunt ab eodem stipite postea distinctae.
- 10 Quales familiae censeantur vocatae, si illa est in aliquo distincta.
- 11 Non venit sub dispositione ad favorem familiae, illa aggregata post mortem dispositi, seu alias illi ignota, & quando secus.
- 12 Praesumptio identitatis urget ex identitate cognominum, & insignium.
- 13 Diversitas patriae non tollit identitatis praesumptionem.
- 14 Praesumptio identitatis, ubi etiam sufficeret ad effectus honorificos, non tamen sufficit ad effectus succedendi in fideicommissis.
- 15 De ratione, ob quam similitudo cognominum, & insignium non sufficit in hac fideicommissaria successione.
- 16 An, & quando ultimus habens facultatem nominandi spernere possit illos de genere nominato per testatorem, & nominare alium.
- 17 In materia juris patronatus gentilitii, seu familiaris, quae identitas sufficiat.
- 18 A materia fideicommissaria licitum est arguere ad illam juris patronatus, & e contra.
- 19 De concursu personarum de familia ad subsidia generaliter relicta illi de familia.
- 20 De identitate familiarum, & concursu plurium inter se contententium de familia in juribus mere honorificis.
- 21 Et de eadem ad effectum nobilitatis, & an dentur nobiles, & ignobiles in eadem familia, sive plus, & minus nobiles ad certos effectus remissive.

## D I S C. L.

**R**ecta per actum inter vivos in aliquibus bonis per Camillum & Marium de nobili Romana familia Capisucca antiquam originem trahente à Civitate Bononiae, primogenitura ad favorem lineae masculinae ipsorum, tam legitime quam naturalis tantum, cum facultate ultimo deficienti nominandi unum de eadem familia, cum eodem ordine successurum, si superfuert, sin minus de familia

extranea sanguine conjuncta, cum onere admodum di cognomen & insignia, vocando in casu nominationis non factae proximiores de eadem familia Capisucca; Cum ex linea masculina unius dictorum fundatorum, imò ex tota ista familia in Urbe tantum essent superstitibus, quorum unus est electus in Sacris, alter verò licet saecularis, in tali aetate & proposito constitutus, quod verisimilem credatur in statu caelibis defesturus; In Oppidum tem Barcinonae Sabaudiae addit quaedam nobilitas familia nuncupata de Bononia, quae tam ex antiqua traditionibus, quam ex insignium identitate, ad administrandis & justificationibus pro certo certis eadem Capisucca Bononiensis à qua Civitate nominationem desumpserit, juxta consimilitudinem de quibus infra; Hinc proinde pro veritate contentus fuit, An sub nomine proximiorum de familia venient isti in casu non factae nominationis, quatenus non venient, An sub ultimo nominato nominari possent unus de hac familia in praesentibus aliarum familiarum sanguine conjunctarum, quoniam requirens pleraque alia in Urbe ac obrinuerat consilia mihi communicata, cum iterum aliquibus cum magna allegationum cogitatio improboque labore in confuso confarcinatis omnibus tractantes hanc materiam identitatis familiarum non distinguendo diversos casus vel effectus ad quos DD. loquuntur; Idcirco idem requiritur in aliis facultatibus versatus ac scientificus, intendendo ejus mentem esse involutam, petit quomodo fieri posset, materiam elucidari. Unde pro ea, praeter Curiae generalem, ac meum pariter rem stylum ac genium, evagari oportuit extra prios ac praecios terminos successione in fideicommissis, majoratibus, & primogenituris.

Respondendo igitur, quatuor constituebantur versus casus seu effectus, ad quos de hujusmodi quaestione agi solet; Primò scilicet ad effectum jus praecifae quaestione in successione in fideicommissis, majoratibus vel primogenituris, in quibus agitur de jure successorio universali vel particulari. Secundò in jure patronatus & praesentandi; Tertio in illis distributionibus & subsidiis, quae omnino de familia, vel saltem pro puellarum subsidio vigulis annis vel temporibus ex aliquo momento massa praestari solent juxta casus, de quibus supra in Lanuen. & in Neapolitana distributionis dist. 3. Et quartò demum quoad nobilitatem ac praesententias, aliaque jura honorifica.

Quatenus pertinet ad primum, de quo frequentius agi contingit circa successiones in fideicommissis ordinatis pro illis de familia, pro istius core & conservatione, duae cadunt quaestiones principales, quarum prima & praecipua est, An pariter inter omnes contententes identitate seu descententia ab eodem stipite, dispositio conveniat omnibus de eadem familia, tam effectiva quam contentiva, vel solum illis de effectiva tantum, sub qua juxta vulgares terminos veniunt solum de contententibus ad testatorem, vel ab eo quem ipse talis familiae dispositio etiam familiae contentivae conveniat, quinam sub illa veniant, & cum quo ordine; De prima quaestione in proposito agunt scribentes per omnes cum consueto maximo labore collecti per Casill. lib. 5. contror. cap. 93. §. 16. per totum, & per sim. num. 9. ubi praeter ceteris allegantur l. eregi. et. num. 26. cum sequen. Fusar. quest. 35. §. 1. num. 57. cum sequen. & cons. 169. num. 44. cum sequ. & ex modis

plenè tractat *Aldogradis consil. 46. & plenius cons. 95. lib. 2.* Dictaque quaestio frequenter disputari consuevit in *Rota*, praesertim, ceteris antiquioribus decisionibus relatis apud *Merlin. decis. 669. num. 24. cum sequen. reperit. dec. 15. par. 7. rec. & in Bonon. fidei commissi de Pancaldi 16. Februarii 1640. coram Panziolo, & 10. Iunii 1642. Coram Cerro, & in aliis plurius ut habetur etiam disc. seq.*

In hoc autem, quicquid nostri variant iuxta magis communem, quoties testator relinquit propriam prolem, itaut in eo sit verificabilis iste terminus familiae effectivae, vel quod verificetur in eo, quem idem testator familiae stipitem constituisse videatur, receptum est pro regula, ut in dubio, & non concurrente contraria expressa vel conjecturali voluntate, vocata censetur solum effectiva, non autem contentiva, Multo verd magis ubi eidem regulae, seu legali praesumptioni aliquod assistat administratum, illud praesertim resiliens ex pronome vel alio verbo personalitatem seu restrictionem denotante, ut de verbo *eorum* seu *ipsorum* cum similibus advertitur in *dicta Bonon. de Pancaldi.*

Hac autem regula seu praesumptio applicari non poterat ad casum controversiae, in quo sine dubio in ea parte, in qua vocantur illi de familia, ad effectum nominationis, vel ad effectum successio- nis in casu non facta nominationis, veniunt illi de familia contentiva, utpotè discreti ab effectiva, atque vocati in casu quo ista cum ultimo de linea masculina erectorum praesupponatur defecta, & sic nullatenus intrabat ista prima quaestio, circa quam utpotè facti & voluntatis magis quam juris, omnino certa & universalis regula, seu decisio tradi non potest, utpotè pendens à singulorum casuum particulari qualitate & circumstantiis, & consequenter superflua remanebant ea, quae aliqui ex dictis Consulenticibus circa istam quaestionem cum magno apparatu ac labore deducebant.

Quo verò ad alteram quaestionem, An scilicet posita vocatione universae familiae, etiam contentivae, veniant omnes idem cognomen, eademque iniqua gestantes, illa est magis involuta ob diversitatem opinionum, praesertim verò Consulenticum ad requirement gratiam ac opportuni aem, non autem ad veritatem, qui proinde adeo magnas confusiones in hac legali facultate induxerunt, Ut non minus factum est per collectores non examinantes articulos, neque distinguentes casus seu effectus ad quos DD. per eos collecti loquuntur.

Ista igitur quaestio pro veritate indaganda in plures casus subdistingueda venit, quorum primus est, ubi non dubitetur de identitate, minusque intret illa separatio, de qua in casu sequenti, itaut verè sit una & eadem familia ab eodem stipite originem trahens retinendo eandem nuncupationem, sed solum concurrat differentia gradus seu conjunctionis, iuxta casum, de quo supra in *Romana primogenitura de Bubalo disc. 25.* vel similem, Quia nempe testator propriam non habens sobolem, vel disponens in casu quo eam defecta supponat, habeat fratres vel alios agnatos proximos, & sanguine attinentes, ac etiam habeat agnatos valde remotos, quasi extraneos effectos, An scilicet vocatio simpliciter facta de illis de familia, indefinite omnibus conveniat absque aliqua discretione, utpotè sub generali vocabulo familiae contentivae pariformiter venientibus, ut antiquiores crediderunt, cum hac generali distinctione familiae effectivae & contentivae procedentes, Vel

potius intret subdistingtio familiae contentivae in proximam constitutam à proprio patre vel saltem avo, & remotam, constitutam ab ulterioribus ascendentibus, ut ceteris relatis deducitur apud *Altograd. d. cons. 46. & 95. lib. 2.* & habetur etiam apud *Andreolum contr. 338. num. 5. & seqq. & num. 11. & per totum*, ut non veniat universa familia contentiva, sed solum illa proxima, & quae dici potest magis propria testatoris, quasi quod contentiva proxima, in illis praesertim, in quibus ob defectum propriae sobolis effectiva non est verificabilis, loco effectivae cedat, ejusque jure censenda sit; Satis enim probabile ac verisimili disponentis voluntati adaptatum videtur, ut tantum ista proxima veniat tanquam species effectivae discretæ ab alia contentiva magis remota & generali, ut advertitur in *d. Romana primogenit. de Bubalo disc. 25. & in aliis.*

Alter casus est, ubi pariter non dubitatur (inspècta antiqua origine) de familiae identitate, omniumque descendencia ab eodem stipite, itaut verè una ac eadem generica familia reputeretur, illa verò tractu temporis formalem divisionem patia sit, Vel mediante omnimoda mutatione cognominis, Vel retento eodem cognomine cum aliqua diversitate adjecti, vel insignium, Ut est e. g. familia *Fontana Placentina*, quae ob celebre *cons. Soccini registratum inter consil. Curt. Senioris cons. 40.* deseruit in hac materia pro norma seu exemplo, nam eadem est familia antiquitus ab eodem stipite constituta, tractu temporis in plures divetas cum diversis adjunctis distincta, nam alia est familia *Fontana de Paveris*, & alia *de Malvicinis alia de Arcellis*, & alia *de Dandinis*, ideoque per *Soccinum* ubi supra concluditur, quod sub dispositione ad favorem familiae ordinata per testatorem qui erat *de Paveris* veniant tantum isti, non autem omnes *de Arcellis*, *de Malvicinis* & *de Dandinis*, atque hanc *Soccini* opinionem sequuntur communiter DD. praesertim *Paris. cons. 51. num. 10. & cons. 88. num. 36. lib. 2. Menoch. cons. 233. nu. 16. & 17. & cons. 1171. num. 24. & 25. & ceteri relati per Altograd. d. cons. 95. num. 90. lib. 2.*

Quod frequens habemus praesertim in Civitate Neapolitana, ubi plures adsunt nobiles familiae, quas pro certo creditur unicam habere originem, & tamen sunt inter se divisae, ut praeter ceteris sunt familia *Caracciola* ejusdem plateae seu sedilis Capuanæ, divisae in illos qui vocantur *Rubei*, & alios qui nuncupantur *Swizzeri* seu *de Leone*, cum omnino diverso stemmate; Familia *Capicia* in eodem sedili divisae in *Capicios simplices*, *Galeotas*, *Latros*, *Sconditas*, *Zurlos*, *Piscitellos*, *Tomacellos* &c. Familia *Carafa* ejusdem plateae seu sedilis *Nidi* divisae in illos qui nuncupantur *de Statera*, & in alios qui nuncupantur *de Spina* ob istarum rerum adjunctum in stemmate respectivè quod in corpore est uniforme, & de quo *discur. 52.* Quod etiam verificatur in familia *Branaccia* ejusdem sedilis ita subdivisa ob aliqua adjuncta, quae in eodem stemmate habent aliquae domus ita distinctae ab ea forte matrice & originaria, quae retinet purum stemma; aliis commune sine alia mixtura, cum similibus. Et in Urbe habemus familiam *Columnam* idem adhibentem stemma, sed ob antiquam divisionem à tribus saeculis & ultra inter illam *Prænestinorum* seu *de Sciarra*, & alteram *Ducum Tagliacotii* seu *Martini V.* adest aliquod adjunctum diversum in dicto stemmate vel in ejus ornatu, cum similibus,

Pluresque adfunt etiam familiae, quae alias identificatae atque ab eodem stipite descendentes, diversam tamen habent nomenclaturam, ac etiam aliquae diversificant quoque in stemmate, aliqua non, quia nempe accidentaliter ratione alicujus egregii operis, sive mutationis patriae, cognomen mutaverint, ut inter plura exempla quae adduci possent, est illud familiarum *Cancellariis & de Bubalo* juxta deducta in *dicta Romana primogenitura de Bubalo disc. 25.* ac etiam in *Pistorien. disc. 36.* Et in Insula Sicilia adest familia de Columna, quam justificatur esse eandem Urbis, & tamen ibi dicuntur de Romano ita cognomen desumptes à patria; Quod etiam justificari supponitur in familia *Roma Mediolanensi*, quae nuper habuit qualificatum Cardinalem, ut sunt *Ursini*, ita nomenclaturatione patriae; Et in individuo consimilis nomenclaturationis de *Bononia*, ex eadem ratione patriae adest haec familia in Insula Sicilia qualificata, unde provenit etiam eadem familia de *Bononia Neapolitana nobilis de sedili Nidi*, descendens à celebri Viro Antonio Panormita Regis Alphonso Primi Consiliario, & charo, nam omnes pro certo creditur descendere à dicta civitate *Bononiae*, ac esse de nobili familia *Beccadella &c.*

Isto autem casu, tam ex dictis auctoritatibus *Socii apud Curtium*, ac aliorum de quibus supra, quam ex communi usu ac naturali discursu, pro certo censui praevidi non posse comprehensionem, quoniam vocata censetur illa familia, quae naturaliter ac de facto censetur una & eadem cum tractatu parentelae, ita ut certitudinaliter constet de descendencia ab eodem stipite, ac de parentela, vel saltem, quod testator eos tractaret tanquam tales, Ut de eadem familia *Castellana*, quod non veniant omnes, sed illi tantum, in quibus dicta requisita justificentur bene *Peregr. consil. 42. lib. 5.* & non negat idem *Peregr. consil. 47. lib. 2.* ubi multum se diffundit super comprehensione gestantium idem cognomen & insignia, in contrarium tamen in eodem casu late scribente *Menobio consil. 1171.* & cum eodem praesupposito procedunt *Ciarlin. controvers. 23. Altograd. d. consil. 95. lib. 2. & ceteri de materia.*

Et de quaestione, an ad fideicommissum ordinatum, seu ad iuspatronatus fundatum per aliquem de familia *Piccolominea* adoptata per *Pium II.* veniant illi de antiqua familia vera & naturali, vel e converso, habetur *apud Rovit. consil. 27. cum sequen. lib. 1. Buccaferr. consil. 49. Monac. decis. Florent. 71. & 72. ubi de decisionibus Rotae in Ilcinen. iurispatron. 14. par. 4. etiam registrata decis. 697. par. 1. & 314. par. 4. rec.* quoniam cum ista sit quaestio magis facti & voluntatis quam juris, non videtur, quod voluntas testatoris vocantis suam familiam trahi possit ad illam, quam ille non agnoscebat, vel si agnoscebat non tractabat tanquam suam, stante dicta diversitate patriae vel respectivè cognominis aut insignium, Ut de familia adoptata post mortem testatoris, ut non veniat sub ejus dispositione, cum ejus voluntas trahi non possit ad eos quos ignoravit, advertitur *apud Burat. decis. 737. num. 2. & non negatur in Romana protectionum sub tit. de praeminentiis disc. 13.* quamvis ibi non agatur de isto magis stricto casu successione in fideicommissis vel primogenituris, sed de simplici jure honorifico, ideoque contrarium probabilius firmetur ex particularibus facti circumstantiis.

Tertius est casus fortior, ubi cessantibus dictis differentiis in cognomine ac stemmate, vel adjun-

ctis, familiae in omnibus identificant, Ex quo sunt ejusdem patriae vel saltem provinciae, & una urget praesumptio omnimoda identificatio, quod tamen sunt aequalis status, nempe aequales, ex deductis *apud Peregr. d. consil. 47. lib. 2. & 19.* quae videtur melior auctoritas assilens illi, se praetendunt de familia, cum aliis *apud Anna. consil. 88. & Ciarlin. d. contror. 23.* ubi non habetur, quod diversitas patriae vel provinciae tollit familiae identitatem, ut etiam habetur *apud Fusar. quest. 358. num. 25. & in Meletiana seu Vinea habitus sub tit. de praeminentiis disc. 32.*

Verum quidquid sit quoad nobilitatem ac praeminentia & honorifica, imò etiam quoad illa *Bursalia* quae honorificorum jure magis ordine successorio regulanda videtur, de quibus infra in tertio casu principali ut supra distinetur. Attamen quoad istum praesentem effectum successione in fideicommissis vel primogenituris, quod ingeniose more Consulentis ad eandem portunitatem probare conetur *Peregr. d. consil. lib. 2. probabiliora videntur fundamenta Menobio consil. 1171.* scribentis in eodem casu, imò cum nullatenus probabile sit testatorem voluisse gravare proprios descendentes vel alias de proprio sanguine ad favorem eorum quos vel non agnoscebat, vel si cognoscebat non tractabat tanquam suos, Unde propterea omnimò necessarium videtur concludens probatio identitatis, mediè descendencia ab eodem stipite, cum dicto tractatu & respectivè notitia testatoris, ita ut dici valeat animam ad hujusmodi personas directam quod fuisse, ut plenè ceteris relatis habetur *apud Burat. ol. d. contror. 338. num. 6. cum seq. & admittitur Altograd. d. consil. 95. lib. 2.* apud quos ferè non Potissimum verò frequentè praxi docente limitandam cognominis familiarum nullo modo esse se contentium, & à qua similitudine accidentaliter quoque derivare solet similitudo insignium, quoniam ut frequenter vidi ac experiri potest illi qui de obscura familia in nomine identitatis cum aliqua nobili ejusdem vel alterius loci probere curant eadem insignia, quibus alias probabant, vel si alia habebant omittunt ac mutuant. Unde quandoque vidi acriter litigatum super prohibitione assumendi cognomen & insignia, etiam quia saepe Iudaei, vel etiam Mahometani servi ad fidem conversi, ex concessione eorumdem dominorum, sive patrinorum in locum levantium, ipsorum cognomen ac stemma mutuant, ideoque ex hac sola identitate praesentem comprehensionem in hujusmodi fideicommissis dispositionibus manifestè fabulosa speciem habent, quod quies non concurrant dicta disposita, illud praesertim cognitionis & tractatus de cuius voluntate agitur, qua posita, remanent solum quaestiones super egressu vel non egressu primi gradus & parentelae, quod pendet à quaestione dispositionis, an in longum seu remotum tempus protracta sit necne, ac altera necessitate probandi descendenciam & parentelam per gradus distinctos, quod juxta ea quae frequenter habemus in materia iurispatronatus, pendet à distinctione, an agatur de concursu proximitatis, ne, ut primo casu dicta probatio necessaria sit, ut autem in secundo.

Unde concludendo, cum Erectores hujusmodi primogeniturae, à pluribus saeculis esset in Romana nullam haberent noticiam hujus familiae existentis in Sabaudia eosque non tractarent tanquam

quam conjunctos & de familia propria, Respondi  
propterea vanum esse prætere istorum comprehen-  
sionem sub hujusmodi dispositione, potissimè quia  
ipsius dispositionis contextus probabat dictos Ere-  
ctores loquutos esse de familia Capisucca Roma-  
na, descendente ab aliis tunc viventibus, quorum  
aliquos ipsi nominarunt, ideoque in hac parte re-  
solutio videbatur plana.

Aliqua difficultas cadere videbatur, anstante  
quod hæc familia omninò extinguenda supponeba-  
tur, unde fiebat locus nominationi, posset nominari  
onus de hæc familia in præjudicium aliarum fami-  
liarum sanguine conjunctarum, quas Erectores nomi-  
nari debere dixerunt; In hoc autem, non omni-  
nò tamen maturum iudicium efformando, sed  
illud reservando, dixi probabilis videri dictam no-  
minationem fieri posse, cum necessitas nominandi  
restricta esset intra illos de familia, quos Ere-  
ctores in actu non factæ nominationis etiam vo-  
carunt, unde propterea non poterat gravatus  
egredi ordinem necessarium à testatore præscrip-  
tum, juxta deducta in *Firmana primogeniura de disc. 33.*  
Respectu verò aliorum, id importare videbatur  
nudum consilium, dum non facta nominatione,  
disponentes non provident, unde bona remaneant  
libera ad quotcumque hæredes transitoria, &  
consequenter laudabilem rem credebam, verissi-  
mè etiam ipsorum Erectorum voluntati adapta-  
tam, ita familiam renovare in ea familia quæ vi-  
debatur eadem; Ponderandi tunc recens exem-  
plum Marii Frangipanii ultimi de adeo celebri fa-  
milia Frangipania Romana, quod licet aliquos  
habet attinentes per cognationem, a tamen  
vocavit unum de familia Frangipania Croatia  
omnino extranea, ob traditiones antiquas & cre-  
dulitatem, quod illa familia ab ista Romana  
descenderet.

Ista sufficiebant in casu, & ad effectum, de  
quibus consultus eram; Ut autem satisfacere re-  
quirenti, atque ut supra elucidarem æquivoca re-  
sultantia ab auctoritatibus, quæ in idem per alios  
17 Consules confarcinabantur, agendo de tribus  
aliis casibus seu effectibus ut supra distinctis; Qua-  
tenus pertinet ad secundum veri ac formalis juris-  
patronatus cum jure præsentandi, ut liquet ex tot  
decisionibus, quas in materia habemus, de qui-  
bus in propria sede *sub tit. de Iurepatronatus*, præ-  
sertim in *Pistorien. Iurepatronatus de Rubis*, alias *de*  
*Ruffis*, licet sufficiat sola identitas familiæ absque  
conjunctione sanguinis, atque mitius in hoc proce-  
datur quam in materia fideicommissaria ex dedu-  
ctis per *Antonin. lib. 1. variar. cap. 82. Gratian. dis-*  
*cept. 685. Lotter. lib. 2. quest. 11. Vivian. de Iurepatro-*  
*natus lib. 4. cap. 9. num. 35. & sequen. latè Ciardin.*  
*controv. 107. num. 10. cum sequen.* cum aliis in dicta  
propria materia, Adhuc tamen requiritur probatio  
identitatis per descendentiæ ab eodem stipte  
vel saltem per descendentiæ ab existentibus in  
quali possessione præsentandi, cadente solum neces-  
sitate faciendi probationem per gradus distinctos,  
ubi agitur de concursu inter plures contententes de  
proximitate, ut in eadem sua materia; Unde  
propterea *Rota in Mediolanen. jurepatronatus coram*  
*Provano*, in qua tot prodierunt decisiones registra-  
tæ apud *Vivianum dicto tract. decis. 71. cum pluribus se-*  
*quen.* non judicavit sufficientem probationem iden-  
titaris familiæ ex sola identitate cognominis & in-  
signium, non probata descendentiæ ab eodem sti-  
pite, vel saltem non probato tractatu, quod scilicet  
fundator illos tractaret tanquam attinentes, & de

propria familia, ubi præsertim accedit diversitas  
patriæ.

Concurrit enim isto casu formale interesse, ac  
præjudicium tertii, Vel scilicet Ecclesiæ contendenti-  
s de libertate ob familiæ extinctionem, Vel hæ-  
redum ultimi de familia, ad quos juxta magis recep-  
tam opinionem, non urgente contraria voluntate  
jusepatronatus familiare transitum facit, ideoque iste  
casus ferè in omnibus tractari solet, ac primus  
fideicommissariæ successione, Atque scribentes à  
fideicommissò arguunt ad jusepatronatus vel econ-  
tra, ex deductis per *Lotter. dicta quest. 11. lib. 2. num.*  
*87. & sequen. Rota apud Duran. decisione 115. & 152. &*  
*sepius*, quamvis in isto mitius seu largius proce-  
datur.

Circa tertium casum juris non omninò honorifici  
sed etiam burfalis ac utilitarii, non tamen impor-  
tantis formalem ordinem successorium, ut sunt  
subsidia per montes seu cumulos familiarum præ-  
stari solita juxta casus, de quibus supra *disc. 3. & 19*  
*22.* & pariter cum sit questio voluntatis fundatoris  
non trahendæ ad ignotos & non tractatos tanquam  
suos, videtur dicendum idem, quod supra in  
primo casu de materia fideicommissaria, vel in se-  
cundo de iurepatronatus dictum est, ob præjudi-  
cium tertii, ac etiam ob cessantem voluntatem  
disponentis, nisi facti qualitas istam verisimiliter  
suadeat, non obstante familiarum separatione juxta  
casum, de quo *infra in Romana legati de Carafis disc.*  
*52.* ubi de subsidio præstando Cardinalibus ac Præ-  
latis de familia Carafa, atque principaliter agitur de  
puncto, An numerus pluralis resolvatur in singulari-  
tates, ita ut legatum vel fideicommissum sit divi-  
dum, vel individuum.

Demum quoad quartum & ultimum casum seu  
effectum juris merè honorifici, qualis est ille, qui 20  
disputatus habetur per *Rotam in Romana juris hon-*  
*orifici 12. Junii 1691. coram Dumozetto inter suas deci.*  
*894.* ubi de facultate renovandi sepulchrum ac me-  
moriam Riccardi Cardinalis Anibaldensis in Basili-  
ca Lateranensi, Quamvis ibi neutre familiarum con-  
tendentium forte benè & concludenter justificaret  
descendentiam ab eodem stipte, de quo erat Car-  
dinalis; Attamen stante identitate cognominis &  
insignium, ac temporis antiquitate, quodque age-  
retur de jure merè honorifico, nemini præjudiciali.  
admittitur utraque familia, quamvis diversa ha-  
berent adjecta de *Molaria*, & de *Zancato*, quæ pro-  
venire potuerunt à dominio hujusmodi Castro-  
rum, seu residentia in his locis, Secus autem quoad  
alios prædictos effectus. Et de eodem jure merè ho-  
norifico agitur apud *Antonin. dicta resolut. 32. lib. 1.* ubi  
de administratione cujusdam Hospitalis cum simi-  
libus.

Ad effectum verò nobilitatis, de quo frequentius  
quæri solet, putabam distinguendum esse, quod aut  
agitur de nobilitate in genere, tam ordinaria,  
quàm generosa, & tunc concurrentem identitate 21  
cognominis ac insignium, si utraque familia in pro-  
pria patria, vel in eadem est in genere nobilis, in-  
trat de facili præsumptio identitatis, ex deductis  
per *Mench. lib. 4. præsumpt. 38. Fab. de Ann. conf. 88.*  
*cum aliis, de quibus in dicta Melevitana seu Valentina*  
*habitus sub tit. de præminentibus disc. 32.* ubi conside-  
ratur ille notabilis effectus evitandi in familia, quæ  
aliàs se nobilem ostendat, objectum resultans ab  
obscuritate loci, ut ibi; Aut vero ad certum esse-  
tum particularem gaudendi aliquibus præminen-  
tiis juxta nobilitatum species distinctas in *Venusina*  
*præminentiarum dicto tit. de præminentibus disc. 35.* &  
tunc

LUCA  
de  
amentis  
cat  
CVI  
9

tunc probanda est descendencia in genere ab eodem stipite; Potissime verò ubi concurrat diversitas patrie cum longo non usu hujusmodi præminentiarum particularium, cum tunc, probata etiam descendencia ab eodem stipite, non de facili admittantur illi de diversa patria. Ut restricta illa facilitate, cum qua processum esse habemus in aliquibus antiquis decisionibus Sacri Consilii Neapolitani apud Franchum & alios, docet moderna praxis in aliquibus nobilibus familiis sparsis per Regnum, docentibus de descendencia ab eodem stipite, à quo descendunt illæ quæ gaudent in Sedilibus Neapolitanæ Civitatis, quoniam prodire solent decisiones declarantes, esse quidem de eadem familia, sed non gaudere præminentia sedilis, ita per longum non usum amissis; Ad quod conferunt ea quæ habentur in dicta Pistorien. jurisprætoratus de Rubeis seu de Rosis sub tit. de jurepatronatus, ubi de eadem familia descendente antiquitas ab eodem stipite, divisa ratione loci, quod una remansit in Civitate continuando in præstina nobilitate, altera verò per moram in loco parvo & obscuro fortè constituta in statu non adeo nobili & qualificato.

- 8 De conf. 636. Decii, & quando ratio adjecta præfationi, in ducat, vel ampliet fideicommissum.  
9 Datur distinctio in eadem materia.  
10 De aliis casibus super puncto vocationis, & contentiva.  
11 Vbi adjectum nomen proprium, seu adjectum præfationi dicitur vocata etiam contentiva.  
12 Quod sit questio facti potius quam juris, & quando decidenda.

## DISC. LI.

**A**ndreas de Solidatis, scriptis hæreditariis filiis cum fideicommissio perpetuo, & defunctivo ad favorem descendencium masculorum, plurimam adjectam alienationis prohibitionem, & restricta ratione, ut ejus bona semper & perpetuo in familia & agnatione conservari & permanere deberent, dispositione sic stante, cum familia effectiva descendencium testatoris, vel extincta esset, ejus extinctio immineret, pro veritate conditionis sui, forsan ex parte collateralium & de familia contentiva, An fideicommissum haberet ulterius progressum ad eorum favorem, vel potius contentiva effectiva terminaret.

Attento fideicommissio dispositivo expresso nato in casu mortis, quando non adesset dicta adjecta prohibitioni alienationis pro perpetuum conservacione in familia & agnatione, non esse dixi, juxta magis communem opinionem in foro receptam, quidquid in Scholis & Academiis in ratione disputativa juxta aliam opinionem posset, regulariter non concurrentibus dictis voluntatis indiciis, & conjecturis, etiam si fideicommissum in familia ordinatum esset, nisi de sola effectiva ipsius testatoris, quando in non verificabilis, quia nempe sobolem masculinam querit, vel primi hæredis gravati, quem familiam pitem constituit, non autem extendi ad contentivam juxta doctrinam Bart. in l. pero §. fratres num. 1. de legatis secundo, quam antiquioribus relatis sequitur Ruin. conf. 153. lib. 2. Paris. conf. 1. num. 5. & l. 1. lib. 2. & ceteri collecti per Fusar. quæst. 351. num. 4. sequen. usque ad 29. de Marin. resol. 132. lib. 1. etiam dicit magis communem & receptam esse hanc pro regula sæpius firmavit Rota præterea apud Merlin. decis. 669. alias decis. 15. par. 7. num. 362. n. 6 & sequen. par. 5. admittitur in Bonon. fideicommissi de Pancaldis 16. Februarii 1640. Rota. & 10. Junii 1642. Cerro quamvis ibi pro familia contentiva decidatur, & latè ceteris relatis in l. deic. de Coronis 28. Januarii 1647. & 26. Junii 1648. Cerro dec. 181. p. 11. rec. tibi firmando restrictio pro restrictione ad familiam effectivam hæreditariam vari, declarantur dictæ decisiones Bonon. de Pancaldis & in aliis de facili cumulandis, quoniam hæreditas in foro & præsertim in Curia talis est regula.

Fortius autem id procedere dicebam in hæreditaria specie, Tum quia in parte dispositiva non agebatur explicite vocabulum generale familie, sed solum virtualiter & implicite stante vocatione masculinorum & descendencium masculinorum, & sic in foro fortiori; Tum etiam quia in dicta ratione contentiva ampliatio defumebatur, aderat proponendum quod importat restrictionem ad solam effectivam, ex latè collectis per Fusar. d. quæst. 351. num. 27. in dicta decis. 362. num. 8. p. 5. rec. Et clarius quia in eadem alienationis prohibitione concedendo facultatem permutandi, tam filiis quam aliis vocatis contentiva conditionem, dummodo fiat in evidentem utilitatem

## RE ATINA FIDEICOMMISSI DE SOLIDATIS

PRO  
SOLIDATIS

*Responsum pro veritate.*

De eadem materia vocationis familiaris, An conveniat effectiva tantum, vel etiam contentiva, & quali; Et an ratio conservacionis bonorum in familia adjecta prohibitioni alienationis, vel alteri dispositioni ampliet fideicommissum ad personas vel casus non expressos, itaut veniat etiam familia contentiva, quamvis vocatio dispositiva soli effectivæ conveniret.

## S V M M A R I V M.

- 1 Acti series.
- 2 Vocata familia censetur regulariter vocata solum effectiva, non autem contentiva.
- 3 De argumentis, ex quibus clarius intrat dicta regula.
- 4 Vocabulum familiaris de sui natura continet tam effectivam quam contentivam.
- 5 Fortius ubi verbum familiaris copulatum est cum verbo agnationis.
- 6 Vel ubi adest dictio in perpetuum, ut tunc ratio contentiva agnationis extendat fideicommissum ultra personas expressas.
- 7 Vbi prohibitio alienationis est personalis, tunc ratio illi adjecta, quantumvis ampla, non ampliat fideicommissum ultra personas vocatas.